



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Pvinct. I. De iure quod est obiectum iustitiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)



# TRACTATUS XXXI. DE IVSTITIA CARDINALI VIRTUTE.

## P R O O E M I V M.

**I**N explicatione virtutum moralium postremum locum Iustitiæ damus, non quia reliquis inferior sit, sed quia latiore explicationem exigit, quam duodecim tractatibus conamur absoluere. Primus erit de his, quæ Iustitiæ generaliter sumptæ competunt. Secundus de Iustitiâ commutativa seruanda in contractibus. Tertius de ea seruanda in vltimis voluntatibus. Quartus de maioratum institutione. Quintus de Iustitiâ distributiva in officiis & beneficiis distribuendis, & oneribus imponendis. Sextus de Iustitiâ seruanda in iudiciis. Septimus de læsione iustitiæ, illiusque reparatione generaliter sumptæ. Octauus de læsione Iustitiæ in rebus spiritualibus, illiusque satisfactione. Nonus de læsione iustitiæ in corpus proximi per homicidium, mutilationem, adulterium, & stuprum. Decimus de læsione Iustitiæ quoad famam, & honorem, & illius restitutione. Vndecimus de læsione Iustitiæ, & illius restitutione circa bona fortunæ. Duodecimus de virtutibus Iustitiæ annexis. Vtinam in gloriam Dei cedant.



### DISPVATIO VNICA.

*De his, quæ Iustitiâ generaliter sumptæ competunt.*

#### P V N C T V M I.

*De iure, quod est obiectum Iustitiæ.*

- 1 Explicationi iustitiæ præmittitur explicatio iuris, quod est eius obiectum.
- 2 Quotupliciter ius sumitur.
- 3 Ius quod est obiectum iustitiæ respicit iustum.
- 4 Duplex est æqualitas, quam ius iustitiæ respicit.
- 5 Ius aliud est in re, aliud in rem.

**I**n explicationi Iustitiæ Cardinalis virtutis præmittit D. Thom. 2. 2. q. 37. art. 1. explicationem iuris, quod est eius obiectum, eo quod exercitio iustitiæ ius ipsum necessariò supponatur. Verfatior enim iustitiâ, vt videbimus, in iure alterius seruando.

2 Ius quod idem est, ac iustum multipliciter accipitur. Vti constat ex Philosopho 5. *Ethic. c. 1. & seqq.* & ex Paulo Iurisconsulto in *leg. ius ff. de iustitiâ & iure* & ex D. Thom. loco citato. Sumitur namque generaliter pro eo quod iustum, & bonum est, legique conforme, in qua acceptione qualibet actus virtutis ius, & iustum nuncupatur, idèoque nequit esse obiectum specialis virtutis. Deinde sumitur pro qualibet lege, vt sumptis Isidor. 5. *etymologiar. c. 3.* dicens *Legem esse quandam speciem, seu normam iuris, quia lex iustum facit, & per legem omnes virtutum actiones dirigitur.* Item accipitur pro sententia Iudicis, quia Iudex sententiam proferens ius proferre censetur. Cum verò, iniquam proferret sententiam non est censendus ius proferre comparatione illius, sed comparatione illius sententiæ, quam tenebatur proferre. Præterea sumitur ius pro facultate legitima aliquid faciendi, seu vendendi. Vti ius sepulchri. *Genes. 23.* & ius cognationis ad hæreditatem *leg. ius ff. de Pactis.* Vnde ius huius facultatis nuncupatur vltus iuris. Sed hæc, & alix similes acceptiones ius obiectum Iustitiæ Cardinalis virtutis.

*Ferd. de Castro, & de Iust. iur.*

formaliter non constituunt, cum non sit ius ad alterum, neque ex obligatione à tertia persona obseruandum. Fateor tamen ex facultate quam aliquis habet suâ re vendendi nasci in aliis obligationem naturalem non contrahendi prædictæ facultati.

Igitur ius quod Iustitiâ respicit est, iustum alteri debitum per æqualitatem seruandum. Vti vendenti merces, & laboranti in vinea debetur pretium, quod communi hominum æstimatione mercibus, & labori æquatur. Illa ergo æqualitas pretij ob laborem, seu merces debita. Iustitiæ obiectum constituit. Sicuti colligitur ex Philosopho. 5. *Ethicor. cap. 3. & 4.* ex Vlpiano in *leg. iustitiâ ff. de iustitiâ, & iure*: & docuit Ambros. *lib. 1. de officiis cap. 24.* dicens. *Iustitiâ suum cuique tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem aequitatem custodiat.* Vnde hæc æqualitas duplex spectat extremum, alterum est is qui Iustitiâ exercet, alterum est in quem exercetur: quâ parte hæc æqualitas est debita tenet se ex parte exercentis Iustitiâ; quâ parte continet ius, seu facultatem, vt illa debita æqualitas obseruetur tenet se ex parte illius in cuius fauorem Iustitiæ actus exercendus est.

Porro hæc æqualitas duplex est, alia rerum, alia proportionum; æqualitas rerum, quæque proportio arithmetica vocatur, est æqualitas rei ad rem, id est pretij ad merces: æqualitas proportionum quæ geometrica nuncupatur est æqualitas præmij ad meritum personæ, illa est obiectum iustitiæ commutatiuæ, hæc distributiuæ.

Rursus ius quod est iustitiæ obiectum communitè Doctores diuidunt in ius in re, & ius ad rem. Ius in re est, cum res tibi obligata est, & deuincta, ita vt illam vbiuicque sit, vindicare possis, eaque pro libito vti, nisi ex contractu, lege, vel sententia sis pro aliquo tempore impeditus. At ex iure ad rem non tibi res deuincta est, neque eam potes vindicare, neque eâ liberè vti, quia simpliciter, & absolute tua non est, sed solum tibi est concessa facultas, & potestas illam rem exigendi, vel habendi. Vti latius explicat Molina Iesuita. 2. 1. *tract. 2. de iust. disp. 2. per totam.*

